

† A. R. P. Carolus Mixa.

(*Prov. Prag.*).

Die festo S. Ioseph, 19 martii a. 1925 domus nostra Pragensis Rectorem amisit, cum vir fortissimus, et qui optima salute frui videbatur, praeter omnium opinionem cordis paralysi e mediis laboribus ereptus est.

P. Carolus Mixa die 30 augusti a. 1872 natus est in Ždár Moraviae. Quae a matre praesertim piissima ac prudentissima in animum eius plan-

tatae sunt virtutes, pietas, laboris ordinisque amor, comis erga omnes urbanitas, in parentes eosque, qui ei praeessent, obsequium, totius vitae eius comites fuerunt.

Studiis humanitatis Brunae et Pragae peractis seminarium maius Pragensis ingressus et die 25 iulii a. 1896 ad sacerdotium promotus est. Anno deinde in vico quodam transacto Berounium venit, in qua civitate cum

multae fabricae et operae essent, iam tum socialistarum sedes erat religionisque tepor homines invaserat. Mixa vero tam sincera pietate et vitae sacerdotalis recto exemplo quam diligentia indefessa ac liberalitate erga pauperes omnium animos sibi conciliavit. Facundia sibi propria hominum corda movendi et ad bonum incitandi arte celebrabatur, ita ut vix quaequam in regione illa sollemnia agerentur, quin Mixa in pulpitudinem concenderet. Contiones autem suas ad vitae usum accommodatas ac pietatis sensu

plenas apostolico studio et dicendi genere simplici pronuntiabat. Cum ecclesia parochialis reficeretur, maxima in hac re cura posita pecuniam corrogabat et vel per domos singulas stipem petebat numquam monere desinens rem Dei agi et in altera vita mercedem pro stipe data sperari posse, ita apud homines segnes et pecuniae et animarum piscator factus.

Decem annos in statione Berounensi excubias egit, at spiritu ad altiora ferebatur. Propinquis autem, ac praesertim matre, repugnantibus ingressum in religionem distulit, donec matre mortua impedimentum sublatum est, nullo sane archiepiscopi gaudio, qui sacerdotem optimum amissurus erat. Festo S. P. N. Alphonsi die a. 1907 vestem nostram induit. In noviciatu primum mortificationes et exercitia a regula praescripta, quibus adulescentium animos et corpora gravi disciplinae regulari assuefieri oportet, homini maturo ac sua libertate assueto haud parum difficultatis pepererunt. At firma constantique voluntate superatis naturae difficultatibus ceteris noviciis pietatis, animi collecti, mortificationis et regularum observantiae vere exemplum factus est. Die 2 augusti a. 1908 s. vota professus Dei servitio in Congregatione se dicavit.

Post professionem factam sex menses iuxta praescripta in constitutonibus in studentatu Obořištěnsi moratus mox Plsnae ea, quae Berounii in colligenda pro ecclesiae restauratione stipe expertus est, adhibere potuit. Ibi enim ecclesia nostra S. Ioannis Nepomuceni aedificabatur, quae die 22 octobris 1911 consecrata est. Simul autem P. Mixa contionibus habendis, confessionibus audiendis, aegrotis invisendis ceterisque pro animarum salute ministeriis obeundis assidu laboravit. Cum bellum exortum esset, in valetudinariis militaribus Plsnae curam animarum suscepit, quam studio numquam deficienti gerere perrexit, cum dirum contagium cholerae asia-



ticea importatum esset. Monentibus autem, ut viribus parceret, respondit sibi, cum sero in Congregationem venisset, plus quam ceteris esse laborandum.

Sub finem belli pace in Brest Litowskij facta in civitatem Vladimir Wolynskij missus est, ubi captivos e Russia redeuntes tempore valetudini eorum spectandae praestituto (*quarantine*) opem spiritualem ferret. Ibi praedicare, sacramenta administrare, confessiones audire, reduces afflictos solari non destitit, ita ut milites dicerent capellanum reperiri non posse nisi in ecclesia vel apud aegrotos. Militibus tribunisque indole sua ingenua et hilari aequa acceptus fuit. Inter ea, quorum libens recordabatur, illud optimum erat, quod nonnullos milites, qui inopia ac fame adducti tumultum moverant, morte, qua multandi erant, liberare potuit.

Domum reversus a. 1918 Brunae et a. 1921 Budvieci ministri munus in se suscepit et more suo utroque loco permultum laboravit, praesertim vero in moderandis congregationibus marianis, quarum imprimis in praeparando conventu generali e tota Čechoslovakia a. 1921 Brunam convocato princeps fuit. Budvieci vero iterum in reficienda vetere et perpulchra ecclesia nostra opera eius multa fuit et felix. Sancta enim quadam importunitate a magistratibus civilibus, quorum multos notos vel etiam amicos habuit, perfecit, ut pecunia publica ad opus perficiendum praestaretur, amicus ineluctabilis iocose ab eis appellatus.

Anno 1924 ad regendam domum Pragensem vocatus simulque Superioris provinciae consultor a secretis creatus est. Statim nisu suo assiduo in urbe capite laborare coepit et iam opus novum induxerat, quo viri iuvenesque prima cuiusque mensis feria VI ad adorandum SS. Sacramentum congregarentur, cum Dominus satis esse dixit. Die 16 martii e missione reversus languorem quandam insolitum ac virium lassitudinem sensit, sed cum medico nihil periculi subesse visum esset, die 21 martii Berounium in missionem profecturus erat, ubi idem adhuc parochus curam animarum gerit, qui ei praeerat, cum P. Mixa ibi capellani munere fungeretur. At duobus diebus ante, quam proficiseretur, vitae meritis onustae finem fecit mors subitanea quidem, sed non improvisa. Cum enim imprimis ultimo tempore saepissime de morte loqueretur hortareturque, ne in ea praeparanda negligentes essemus, ipse profecto nihil in hac re omisisse credendus est.

Quo die in missionem exire voluerat, 21 martii, exsequiis a Rñó Episcopo auxiliari Ioanne Sedlák celebratis magno sacerdotum ac populi comitatu corpus elatum est. Luctus enim non tantum in nostros ceciderat, sed in omnes, qui Patrem defunctum noverant. Eñus Cardinalis Skrbenský, qui olim, cum P. Mixa sacerdos saecularis esset, archidioecesim Pragensem gubernaverat, litteris laudis eius plenis Patrem Mixa vitae exemplo, animarum laborumque studio, humanitate omnibus praeluxisse et ab omnibus maximi habitum esse testatus est.

Virtus moribus eius penitus insita maxima in superiores observantia et erga proximos clemens comitas esse visa est. Iam in seminario inter collegas in proverbium abierat, si rector vestem talarem non nigram, sed caeruleam esse dixisset, Carolum mordicus confirmaturum esse eam esse caeruleam. Parochus vero, qui decem annos ei praeyerat, ne minimam quidem umquam cum eo controversiam sibi fuisse praedicavit. In Congregatione hac in re nimius potius fuit quam parcus. Quidquid superior dixit, sanctum ei videbatur. Si quem vero acrem superioris censuram agentem audivisset, homo mitis comisque etiam acriter in auctoritate defendenda exsurgere visus est. Nec minor erat in eo erga proximos humanitas ac caritas. Homo hilarus, simplex ac verus apud omnes, qui eum noverant, optimam sui memoriam reliquit. Eius hac in re agendi ratio optime hoc exemplo illustratur. Cum in Montem Sacrum pater cuiusdam clerici nostri rusticus venisset, P. Mixa ei summa humanitate excepto per sanctuarium domumque nostram se comitem dedit ac denique ad stationem viae ferratae eum deduxit, sarcina eius satis magna dorso suo imposita. Quod cum homo sacerdotis reverentia concedere nollet, P. Mixa ab incepto non destitut more suo iocosus minatus se sarcinam asportaturum nec umquam redditurum esse, si non concederet, ut ipse eam ad stationem portaret.

Fraterna eius caritas in Congregatione limitibus circumscripta non esse visa est. Ideo, cum ipse aliis praeesset, exemplo caritatis fraternalae praelucens vel in ultimum e communitate fratrem curam accuratissimam impendit. Cum praecipere vel reprehendere oportuit, benignitatem et humanitatem eius nemo spernere ausus est, sed omnes id tantum metuebant, ne bonum superiore dolore afficerent.

Quin talis homo regularum observantissimus fuerit, profecto nemo est, qui dubitet. Vita eius Congregationi dicata erat, cui septemdecim vitae annis operam optimam navavit. Regulae vero et constitutiones ei pro lege sanctissima fuerunt, et cum praeesset, etiam maximis laboribus occupatus a conventibus domesticis numquam abesse visus est.

Ubi animarum res agebatur, nec amoris nec laboris terminis quibusquam continebatur. Ob comitatem non communem, in agendo dexteritatem, iudicium certum magnamque negotiorum peritiam a permultis maximi habitus est, et sacerdotes hominesque eruditi animis volentibus conscientiam suam ei aperiebant. Sed eadem caritate semper etiam gentem rudem ac rusticam tractavit. Ut verus S. Alphonsi filius, ubi animae magis dierictae videbantur, eo properabat.

At homo hilarus et iocosus profundissima simul pietate imbutus erat et orationis amantissimus, quamquam, quod extranei quoque sincere admirabantur, veram pietatem suam occultare studuit.

Laborum suorum a Deo coronam accipiat, pro Congregatione apud Dominum intercedat! R. i. p.!